



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Concilia Provincialia Mediolanensis Sex

Borromeo, Carlo

Venetiis, 1602

Peste restincta quæ præstanda. Cap. XXX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62072)

etiam Missæ sacrificium peragatur. quòd si in ea feria per officij ritum peragi non potest; in alia proximè sequenti præstetur. Huic autem rei præstandæ modum Episcopus, pro Diocesis suæ ratione præscribet.

Singulis præterea diebus, præterquam, cum pro officij ratione, aut ob aliam causam non potest, Sacerdos vnusquisque in Missæ sacrificio orationem, collectamue pro mortuis religiosè dicat.

Moniales etiam certo hebdomadæ die, ab Episcopo præscripto, officium mortuorum recitent.

15 Singulis quoque diebus dominicis vnusquisque Parochus, animarumue curator, populum intrà Missarum solemniam admonebit; vt non modo tunc, cum in Missæ sacrificio præsens adest, pro mortuis simul præcetur; sed postridie illius diei, quo pro illis fiet, in Ecclesiam ad diuina officia, solemneque Missæ sacrificium frequens conueniat. Qui verò impeditus adesse non potest, saltem vel domi, vel in officina, tabernauè, vel vbicumque erit, pro eis paululum oret, religiosè precibus adhibitis, prout est pietatis suæ diligens studium.

16 Singulis denique dominicis diebus prima hora noctis certum campanarum signum de more solemne detur, quo & oratio quæ tunc à fidelibus pro mortuis facienda est, & diuinorum officiorum celebritas, quæ postero die eorū causa agetur, omnibus vniuersè significetur.

17 Hæc autem omnis defunctorum animabus piè suffragandi ratio, Episcopo curante, ita inibitur, statueturque in tota Diocesi, vel in eius parte, vt pestis sese diffuderit, vel Episcopus idem censuerit.

Hoc ipsum omne vt in suis Ecclesijs à regularibus præstetur, omni cohortationis officio ille curabit. Quin etiam litteris cum Metropolitano, & alijs Prouinciæ Episcopis aget, vt par pietatis studium in sua quisque Ecclesia ijs defunctis præstent.

Peste restincta quæ præstanda. Cap. XXX.

S V M M A R I V M.

- 1 Peste restincta. gratiarum actio, supplicationibus agenda. 17. hæcque ab Episcopo procuranda. 1.
- 2 Sacra communio.
- 3 Oratio quadraginta horarum.
- 4 Supplicationes triduane.
- 5 Christianæ institutionis regula.
- 6 Votorum persolutio.
- 7 Legatorum præstatio.

Vitio-

- 8 Vitiolum, & malarum corruptelarum profligatio.
- 9 Pietatis officiorum exercitatio.
- 10 Visitatio Ecclesiarum per se, & per alios. 12. & que in ipsa visitatione procuranda. 11. 13.
- 11 Charitatis operum restitutio; & quarum aliarum spiritualium rerum excitatio, & instauratio.
- 13 Librorum de baptizatis, & matrimonio iunctis tempore pestis, exhibitio.
- 14 Cum Magistratibus, & Decurionibus de re frumentaria deliberatio.
- Viduarum
- Pupillorum } & quorum patrocinium.
- Sacerdotum }
- 15 Laicorum }
- 16 Mortuorum suffragatio.
- 18 Aliorum Episcoporum congratulatio.
- 19 Accepti beneficii ob recuperatam valetudinem, gratitudo; & consideratio à quo id euenerit. 20. Eaque in re Parochorum, & concionatorum officium 21.
- 22 Peccantium obstinatorum monitio, & perterrefactio.
- 23 Ad colendam beneficii memoriam proposita ratio.
- 24 Tuenda recuperatae valetudinis proposita regula.
- 25 Beneficii accepti perpetuum monumentum.



1 **D**Ei munere, beneficioque cum primum pestilentie vis paulatim languescere incipit, in eo potissimum Episcopi cura versabitur, ut omni officij genere is populum excitet, atque inflammet non modo ad orationem, obsecrationem, & gratiarum actionem, sicut Apostolus monet; sed ad precipua quedam religionis Christianae studia, atque adeo opera, quibus diuinum illud beneficium, ac singulare, pia, grataque memoria prosequatur perpetuo.

2 Primum ut omnes, & singulos ad gratiarum actionem instruat, ac parer; illud curabit, efficietque, ut peccata sancte confessi, certo religioso die sacram communionem frequentissimi sumant.

3 Deinde statim illam orationem quadraginta horarum indicet, & celebrabit religiosissime: ad quam cum populus per vicinias Parochiales distinctus certis predefinitis horis conueniet, in omni illa horaria statione, concionantis vel breuissimo sermone incitetur, atque accendatur ad ea officia, quae sanctissima ob accepti beneficii memoriam prestare quisque debet.

4 Postea vero supplicationes triduanae indicet: quas solemniter appa

ratu, & omni religiosorum ordine, & frequentissimo vniuersi populi concursu; & præterea tertio scilicet eorum die, sacra omni pompa sanctorum reliquiarum ritè, religiosè, rectè, atque ordine celebrari studebit.

5 Atque vt rectissimam quidem viam emendationis, sanctiorisque vitæ populus vniuersus suscipiat, ac teneat; curabit in primis, vt vicinia Parochialis omnis, & vnaquæque familia, si minus id pestis tempore fecit, nunc tandem Dei offensiones, morum corruptelas, prauos vsus, quibus antea sese ullo tempore implicuerat, perpetua deliberatione, perpetuaque omni detestatione, pellat, abhorreat, planèque abijciat.

Certas uerò Christianæ institutionis regulas unicuique hominum generi, ordini, & cõditioni accommodatas, Episcopus commonstrabit.

6 Curabit item hoc diligenter, ut si quæ vota uel publicè, uel priuatim nuacupata sunt, quàm primùm, & piè, & religiosè, ritèque persoluantur ad præscriptum huius Concilij.

7 Vt legata, aliouè nomine relicta, aut donata quæcumque in pestilentia pij usus causa sunt, rectè, seduloque præstentur.

8 Vt quæ uitia, & quas morum corruptelas, dum pestis uis, atque impetus irruerat, publicè, palamque populus detestabatur, hoc maxime professus, se illa tamquam peccatorum seminaria, unde pestilentia exiit, abiecturum: ea planè in perpetuum profligat, eorum malorum fibras, & radices præcidat.

9 Vt in primis quæ Christianæ pietatis officia, ac quæ studia pestifero morbo languerunt, diligentius excitentur.

10 Quamobrem uisitationis munus quam primùm aggredietur diligentissimè: in quo munere hoc potissimùm studebit, atq; exequetur,

Vt Ecclesiæ, præsertim Parochiales, si quæ ob pestem damni, detrimenti, aliquid fecerunt, refarciantur, & necessaria supellectile apparatus instruantur.

11 Vt loca instaurentur, caritatisque opera, & subsidia, si quæ uel neglecta, uel prætermissa, uel intermissa sunt, omninò restituantur, atque excitentur religiosus.

Vt Academiæ, Scholæ, Collegia uè piè instituta renouentur, flagrantiori studio.

Vt diuinorum officiorum cultus omni parte florescat.

Vt sacræ conciones & frequentiores sint, & omni sanctissimæ disciplinæ officio instructiores; itidemque sacræ lectiones. Quamobrem lectissimos concionatores vndique conducere studebit ad suæ Diœcesis loca.

Vt in primis doctrinæ Christianæ Scholæ studiosius, frequentiorique multitudine exercentur.

Vt piorum hominum Scholæ frequentissimæ sint, ardentiusque

versen-

versentur in omni pie agendi cursu, & progressionē.

Vt aliæ piæ confraternitates erigantur; aliæque item piè instituta opera, exercitationesque excitentur.

Vt causæ piæ diligentissimè explicentur; & si quæ in foro sunt, ad exitum perducantur.

Vt omnes denique, & singuli officia, studiaque sanctæ Christianæ disciplinæ diligentius amplectantur, & colant.

Frequentissimi ad indulgentiarum, & stationum celebritatem concurrant.

Ecclesias crebrius, religiosiusque frequentent.

Dierum festorum celebritatem ab omni seruili, mundanoque opere abstinentes, sanctè venerentur, & sanctificent officijs atque actionibus cælesti præmio dignis.

Vt patres familias omnibus, & singulis, quos in familia, famulatuuè habent, sanctè viuendi leges accuratius tradant ad præscriptum regularum, quas ipse Episcopus eo nomine ediderit. Quanto autem quilibet generis splendore, dignitate, opibus, præstat; tanto ardentiori studio omnis pietatis instituta, progressiones, atque officia tueatur.

Vt mercatores, artifices, institores, & cæteri cuiuscumque officij homines, ministriuè, peste restincta, non tam in excitandis indutria, artisque suæ studijs, resumendisque ipsis artificijs diligentes sint, quam solliciti admodum, & studiosi non modo in suscipiendis sanctè agendi institutis, sed in reiiciendo omni vitio, quod in artis suæ vû, atque exercitatione aliquando subesse solet: ita vt quæstui salutem animæ in negotiationibus, actionibus, & artificijs planè anteponan.

Monebit præterea crebris sermonibus, in mercatura, quam faciunt, in omni que commertio nihil fraudis, nihil doli, nihil quæstus nefarij, nihil falsi, nihil periurij commitendam, concipiendamuè esse: ab officinis, & tabernis omnem viuendi intemperantiam, & turpiter dictorum obscenitarem profligandam esse: à iudiciali foro omnem auaritiam, rapinas, ambitionem, iniquitates, & pupillorum, viduarum, egenitiumque hominum vexationes exterminari oportere: à priuatorum ædibus intemperantis, profusæque vitæ consuetudinem, ludos aleatorios, immoderatos sumptus, seruorum greges, conuiuiorum exquisitos apparatus, ingentem vestium pompam, & omnia denique quasi peccatorum seminaria conuellenda: à ciuitate capitales inimicitias, odia, simultates, factiones, improborum hominum cætus, ludos publicos, & spectacula omnia prophana abijcienda. Hæc enim cum eiusmodi sint, ob quæ Deus iratus, pestifero morbo populum contuderit, ac debilitarit; posteaquam eius singulari misericordia, donoque publica valetudo recuperata est; sunt omni cura, studioque euitanda, ne acce-

pro beneficio fideles abutantur, ad Dei iram grauius concitandam.
 12 Hanc verò visitationem, quæ omnibus officijs cumulata esse debet, Episcopus, quò studiosius præstet, atque adeò perfectis, alios etiam visitatores adhibebit, qui omnes commonstratæ visitationis partes adiuent, atque exequantur.

13 In qua visitatione illud etiam curæ erit, vt libri de matrimonijs & baptismis in pestilentia ministratis, proprio Parocho confestim tradantur: qui in codicem Parochialem quæcumque de eo ministratio- nis genere notata sunt, referantur ad præscriptum.

Vt item infantibus, in pestilentia natis, quibus ob periculum statæ solemnes baptismi cærimonie adhibere non sunt, quamprimùm illis de more, ritumque adhibeantur.

14 Et quoniam sæpè fit, vt, peste depulsa, fames populum adoriatur; idè eam etiam cogitationem, & curam Episcopus suscipiet, vt, re cum magistratibus, Decurionibusque deliberata, populo in rei frumentariæ caritate, quæ existere posset, aliqua ratione succuratur; nè famæ conficiantur, qui pestilentia extincti non sunt.

15 Viduarum præterea, pupillorum, & pupillarum, eam curam suscipiat, quæ suprâ commonstrata est.

Sacerdotum, & religiosorum hominum, qui pestis tempore benè, pièque se gesserunt, ac pericula non reformidarunt, vt spiritali adiumento egrotantibus subuenirent, patrocinium, curamque habebit. Idem laicis, & mulieribus præsertim, quæ infectis morbo operam nauarunt, ipsè præstabit.

16 Pro ijs verò, qui pestilentia confecti obierunt, per annum post recuperatam publicam valetudinem omnis diligentia, quæ suprâ præscripta est, seruiabitur in eorum animabus suffragandis.

17 Porro Episcopus cum Metropolitano, is verò cum Prouinciæ Episcopis aget, vt supplicationibus, processionumque solemnitate, & omni pietatis sanctæ officio, vbique in Prouincia de recuperata valetudine Deo gratiæ habeantur.

18 Rursus Episcopi Prouinciæ coepiscopum, cuius Diocesi, vrbsue Dei beneficio à peste liberata est, paterna caritate inuisent; eidemque cum priuatim pio colloquio, tum publicè populo sanctissima concione gratulabuntur.

19 Vt porro singularis beneficij, quod pestis morbo depulso, à Dei misericordia populus accepit, perpetuò memor sit, id Episcopus omni in primis ratione curabit; nè ob ingrati animi crimen, quod graue est, gratissimasque Dei offensiones parit, grauiora deinceps mala, perniciosiusque exitium sentiat: ac propterea grauitate exemplorum, quæ ex sacris vtriusque testamenti litteris sumuntur, sæpissimè declarabit,
 quàm

quàm valdè oderit Deus ingrati animi crimen .

Itaque id vnum studebit , vt populus beneficium agnoscat , & quale sit , & quantum , quàmque omni munere , & dono , non corporali solum sed spiritali plenum , & cumularum : ità vt planè ille intelligat se , peste liberatum , non modo pristina commoda publicè valetudinis recuperasse ; sed etiam spirituales vtilitates , spiritaliaque emolumenta , quibus aliquando in pestilentia caruerat magno cum periculo salutis .

Crebrò illum excitabit ad sanctarum exercitationum , quibus in pestilentia difficulter utebatur , religiosum studium , ad frequentem sacramentorum vsum , ad stationes obeundas , ad conciones , & lectiones sacras audiendas , ad dies festos in Ecclesijs , pijs orationibus , sanctisque meditationibus consumendas . Ad quæ officia ardentius eum incendet , propositis incommodis ; difficultatibusque quibus non sine quadam animi acerbitate , & cruciatu tunc impliciti erunt ; cum præsertim vel in ipsa med a morte non haberent aliquando , vnde spiritalibus adiumentis , & consolationibus sustentarentur .

20 Id studebit , vt pestis extinctæ beneficium planè agnoscat non ab hominum prudentia , consilio , medicamentorum procuracione existere ; sed à Deo in primis , qui mortificat , & viuificat , deducit ad inferos , & reducit .

Itaque insigni illius misericordia factum esse populus sciat , vt sedatis pestilentie tempestatibus , tranquillitate vite perfruatur . Alioqui verendū esset , nè grauius plectetur , vt olim populus Hebræus , qui Agypti seruitute Dei ope mirabiliter liberatus , diuinum beneficium grati animi pietate cum non agnouisset , pœnis deinde acerbissimis affectus est .

21 Cum igitur Parochi , tum concionatores ob eam causam sepius eam monebunt , & locis , quos ex sacrarum litterarum fontibus haurient , vberrimè tractatis , ostendent , in rebus prosperis , & ad voluntatem fluentibus , arrogantiam & superbiam fugiendam esse ; sed Deo in primis omnium bonorum parenti , & auctori , quicquid prospere & optime successit , tribuendum esse : Ne dixeris in corde tuo , fortitudo mea , & robur manus meæ hæc mihi omnia præstiterunt ; sed recorderis Domini Dei tui , quòd ipse iures tibi præbuerit , inquit ipse Deus , Id quò grauius in fidelium mentibus inserant , flagitia , & peccata aliquando exagitabunt , quæ populus admiserit , rursusque Dei beneficia præclare commemorabunt ; ità vt is non auditione solum percipiat , sed intimo animi sensu cognoscat , se non meritis suis , sed singulari Dei benignitate à pestilentia liberatum esse .

Cum illis , qui pestifera erumna correpti , vitam , moresque emendauerunt , quique à Domino castigati , inquit propheta , eruditi sunt ad di-

uinas

uinas iustificaciones, ita agent, ut, cum emendationem tum liberationis à peste munus à Deo potissimum agnoscat: ac de utroque beneficio perpetuas ei gratias agat; & cum mortifero morbo iam affecti, eoque diuinitus liberali, omnis malè anteactę uitę pœnitentes, uiam sanctę agendi ingressi sint, in ea longius progrediantur perpetuò, neque eorum pœnitentia ficta sit, & simulata, uel breuis, quę solum metu periculi nixa fuerit, quemadmodum de Antiochi, & Esau falsa pœnitentia litteris diuinis prodium est.

Eorum autem mentis cæcitatem grauissimè increpabunt, qui carnis sensu ducti, & mundi illecebris deliniti, quoniam opibus affluunt, cum omnia sibi licere putent, non modo certissimo pestilentie periculo, sed neque recuperatę ualitudinis beneficio meliores facti sunt: Attriuisti eos, & renuerunt accipere disciplinarum; indurauerunt faciem suam super petram, & noluerunt reuerti: de istis ita narrat propheta Hieremias.

22 Illos denique qui peste restincta, obstinato, obfirmatoque animo sunt ad peccandum, uehementius deterrebit, ut scilicet, quamuis peste liberati sint, grauiora sibi pertimescenda proponant; cum causa etiam adhuc subsit, unde sempiternam plagam accipiant. Recuperatio enim ualitudinis magnam suspicionem, & metum perito medico affert, qui rursus multa signa uidet, ex quibus animaduertit, causam sublatam non esse morbi, ex quo eger periculose laborauerat.

Istos monebit, etiam si unà cum bonis piorumque operum studiosis uiribus, ualitudinis publicę fruuntur beneficio, fore tamen aliquando, ut diuino iudicio, ab illis segregati, sempiternę salutis fructu careant.

Id ipsi præterea, quo secundioribus rebus in hac uita utuntur; eo magis illis timendum esse ostendant; certoque persuadeant nullum denique malum, nullumve flagitium concipi, admittuè, de quo Deus pœnam iustissimam non reposit.

Ac proinde etiam illis metuendum sit, nè sempiternis illis cęlestis hæreditatis bonis priuentur, qui caducis, & fluxis huius uitę rebus, & muneribus, donisque temporaneis aucti sunt.

Nè item cū elemosynas, orationes, ieiunia, aliaque pria opera Deus respexerit; eo liberationis, beneficio solum illa officia compenset, tanquam cęlesti præmio indigna, quod è charitatis fonte emanarint.

Et quod grauius multò est, illud extimescendum demonstrant, ut nè scilicet, cum isti desperatę uitę emendatione sint, Deus propterea, peste depulsa, dimiserit eos secundum desideria cordis eorum, illosque liberè, & impunè peccare permiserit, ut postea acerbissimis cruciatibus, ac sempiternis torqueantur, quippè, cum maximè tunc iratus ille sit, cum minimè irascitur. Sic enim populo Hæbreo iratior fuit, cum

fratus non erat amplius : & requiescet, inquit, indignatio mea in te, & auferetur Zelus meus à te, & quiescã, ne irascat amplius, eò q̄ non fueris recordata dierum adolescentiã tuã, & prouocasti me in oibus his.

Docerunt, nisi Dei munere fructum fideles ferant; inde hoc aliquando fore, ut non solum illud amittant; sed eò grauioribus pœnis afficiantur, quòd se diuino beneficio indignos præbuerint, diuinaque benignitate abusi sint ad offensiones ipsius Dei, à quo tale munus, donumque acceperunt.

Recuperata ualutudinis beneficium tributum, ob eamque causam vitæ spatium datum esse suadebunt, ut illud in pœnitentiã operibus, & in sanctioris disciplinæ rationibus conficiatur.

23 Accendent populum ad omnia pietatis officia, quæ memoris, gratique animi sint.

Vt scilicet intimis sensibus, menteque humili, & religiosa cum id beneficium à Deo solo extitisse agnoscat, cor omne ad Deum conferrat: Præbe mihi, ille inquit, cor tuum.

Vt omni oratione, prece, supplicatione, & diuinarum laudum celebratione gratias Deo agat.

Vt tale beneficium liberis commemoret, exteris hominibus, quàm singulare fuerit, narret, & omni mutua gratulatione ita prosequatur, ut commemorando & gratulando, sese magis atque magis accendat ad sanctiora, & diuturniora, uel perpetua potius gratiarum actionis officia.

Ut se totum Deo offerat, restinctisque cupiditatibus, & exultantis animi sensibus repressis, ita se comparet, ut malit omnes res uel amplissimas reijcere, quàm à Dei voluntate diuinisque præceptis, & monitis discedere: idque sibi propositum habeat, quæ cumque possidet, cum à Deo habere, tum ad illius gloriam, & ad suam, suorumque liberorum, agnatorum, propinquorum spiritualem salutem procurandam se libenti animo, liberalique uoluntate erogaturum.

Ac propterea, quæ à pestis incendio facultates liberatæ sunt, earum partem Deo tribuat: decimas, & primitias libentius persoluat: suppellectilem, & ornamenta ecclesijs ad religiosum illius cultum libenter, studiosèque conferat.

Vt recuperata publica ualutudine non omnibus mundi lætitijs, ut sit, exultet: sed intelligat, quæ fidelis populi lætitia in recuperata publica incolumitate esse debeat, quàm moderatum gaudium, quàm cum ueræ pietatis officijs coniunctum.

Nec uerò mundi lætitijs elatus, insolentius se extollat; quòd una scilicet incolumitate publica, diuitijs, opibus, auri, argenti, rerumque omnium copia circumfluat; sed hæc intime in Domino gaudeat, & læte-

tur, quòd peste Dei beneficio depulsa, tot, tantisque spiritualibus commodis, quibus in pestilentia caruerat, liberè fruatur. Quòd ecclesias frequenter, quòd ad supplicationes frequens conueniat, quòd processiones solemnes obeat; quòd in sacris concionibus, rerumque diuinarum interpretationibus audiendis uersetur; quòd frequenti sacramentorum usu sese salutariter pascat: hæc sanè sunt salutaria commoda, ex quibus solidum, perpetuumque in Domino gaudium capiat. Quàtam enim consolationem fideles ex sacramentorum usu percipiant, uel ex hoc uno cognosci potest, quod dignum omni commeratione est. Fuit Mediolani, dùm pestis proximis annis sauebat in publica hospitali domo S. Gregorij homo quidam, qui peste mortuus putabatur, inde igitur ad locum asportatur, unde ceteri mortui, ad cæmeterium efferuntur. Eo loci cum in magno cadauerum aceruo tota nocte penè sepultus fuisset; manè dùm publicæ curationis sacerdos, qui peste ægrostantibus sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum ferre consueuerat, illac transiret, ubi ille, cadaueribus penè apertus iacebat, de repente arden- ti sumendæ Eucharistiæ desiderio excitatus se in genua erexit, & hac diuina occasione exhilaratus, uoce, quam ab illo, animam exhalante, consolatio uix elicuerat, à sacerdote supplex petijt, sibi quoq; sanctissi- mum uaticum dare: quod ubi sacerdos libentissimè ministravit, & il- le religiosè, summaq; ueneratione accepit, eodem loco statim in pestis acerbitate cum summo percepti sacri uaticum gaudio ex hac uita migra- uit. Quem fidelem hoc pij hominis exemplum non afficit? cui non iucunda hæc plena consolationis commemoratio?

Iidem præterea, & concionibus, & sermonibus agent, ut ualitudinis publicæ recuperatæ munus prosequantur non uoluntate solù obediendi diuinis præceptis; sed operibus, & affectionibus sanctissimis, quæ in diuinis monitis exequendis elucet.

Vt gratiarum actio, quæ ex sanctissimo omni opere constare debet, in perpetuis benè uiuendi officijs perseueret.

Vt hæc ipsa à toto populo, non à parte solum celebretur, ita ut alij benè agendo ædificent, alij malè agendo destruant.

Vt hæc ipsa non diuisa sit, ut partim scilicet Deo, partim mundo tri- buatur; sed omnis ad Dei gloriam referatur.

Sacerdotes autè, & curatores animarum in primis sollicitudines suas, & uigilias in eo consument, ut populi, sibi culturæque suæ commissi, disciplinam studiosè instaurent, quòd uberiores fructus, eosque sempiternæ uitæ præmio dignos ferant.

¶ Tuendæ autem recuperatæ publicæ ualitudinis regulam proponant, à Christo Domino traditam, his uerbis; *Vade, & noli amplius peccare, nè quid grauius tibi contingat.*

Atque

Atque in huius quidem argumenti genere omnem progressionem spiritualement, libro Memoriali Mediolanensi uberrimè explicatam, excitabunt summo studio; summa omnis officij contentione, & rationū momentis ex eodem libro depromptis: quem ob eam causam ad omnis eius generis tractationem adhibebunt.

25 Episcopus autem in uniuersam hanc curam, & sollicitudinem cum perpetuo incumbet; tum curabit, ut perpetuum sit aliquod beneficij huius monumentum. Quamobrem rationem aliquam suscipiet, ut ad colendam eius memoriam, aut ecclesia, altarenè edificetur, aut hospitalis domus eo nomine struatur, aut anniuersarię elemosynę, alteriusuè rei pium opus erigatur, aut dies festus aliquis potissimum instituat, quo Missa solempnis, & supplicatio anniuersaria celebretur; aut piorum hominum confratria præcipua instituat certis religiosi officij rationibus.

F I N I S.

L A V S D E O.